

interualla comprehendere, etiamsi non omnes lineæ in longitudine sint commensurabiles. Quod si igitur iuxta hæc mechanica principia circulum quadrare velimus, nulla plane erit difficultas: vt autem certam ex geometria demonstrationem habeamus, qua perfectissimam circuli quadrandi scientiam consequamur, non est cur multum laboremus. Quotquot enim circulum exactissime quadrare conantur, hi omnes paralogismum Brysonis reuocare coguntur: aduersus quos non erit opus nouis argumentis & rationibus pugnare. Hoc tantum requiritur, vt diligenter videamus, quem modum quadrationis & veteres & recentiores mechanici sint secuti, & quam longe a subtilitate geometrica aberrarint: cuius rei methodum nos in sequentibus luculenter & perspicue ostendemus.

Explicatur modus quadrandi circulum, ab Archimede inuentus.

CAPVT III.

POSTquam vidit Archimedes, multos quidē de quadratura circuli laborasse, sed parum commodi ad praxin exercēdam attulisse: operam omnino dare voluit, vt quantum fieri posset, haberetur ratio facilis, & ad opificia mechanica opportuna. Quare duo in dimensione circuli ante omnia inuestigāda esse monuit: quorum primum est, vt mensura aliqua communis

D 2